

De Sophoclis Electrae loco nondum satis explicato.

V. 221—229 Electra choro, qui eam admonuit ne animi acerbitati nimium indulgens sibi ipsi ultra quam necesse esset mala pararet, haec respondet:

[ἐν] δεινοῖς ἤναγκάσθην, [ἐν] δεινοῖς·
 ἔξοιδ', οὐ λάθει μ' ὄργα.
 ἀλλ' ἐν γὰρ δεινοῖς οὐ σχήσω
 ταύτας ἄτας,
 ὄφρα με βίος ἔχη·
 τίτι γάρ ποτ' ἄν, ὦ φίλια γενέθλα,
 πρόσφορον ἀκούσαιμ' ἔπος,
 τίτι φρονοῦντι καίρια;
 ἄνετέ μ' ἄνετε παράγοροι.

225

Primum versum ἐν utroque loco omissa strophae metro convenientem Brunckius reddidit. Multo minus placet Wolffii ratio, qui, cum altero loco ἐν servandum esse putaret, quod in v. 223 ἐν δεινοῖς eo referretur et verbi ἀναγκάζειν obiectum deesset, δεινὸν ἤναγκάσθην ἐν δεινοῖς scribere maluit. Nam in v. 223 ἐν δεινοῖς aliam vim habet eamque concessivam: *in rebus quamvis diris* (cf. Eurip. fragm. 960, 2 Neophr. fragm. 2, 9 Nauck.), et Electram dira necessitate id facere coactam esse quod antea chorus ne faceret eam hortatus est ex se intellegitur. Praeterea Electra non *facere* se dira putat (hoc enim indicaret δεινὸν ἤναγκάσθην), sed *pati*, ut clarissime in v. 223 ἐν δεινοῖς ostendit, quod aliter accipi nequit. Eo probabilior autem videtur Brunckii emendatio quod e v. 223 ἐν facile in v. 221 immigrare poterat. Male deinde plerisque interpretibus ὄργα visa est ipsius Electrae esse, cum sit τῶν δυνατῶν et respiciat ad πολέμους quos Electram acerbitate animi (δυσθύμῳ ψυχῇ) excitare ante (217—220) chorus dixit. Neque enim hic versibus quibus Electra respondet eius iram demonstravit, sed mala quae acerbitate illa sibi contraheret. Quorum summa cum potentium ira contineatur, hanc se non ignorare Electra respondere debet¹. Huic responso etiam ea quae sequuntur aptissime applicantur, dummodo ea recte interpretemur. Eorum sententia enim haec est: *'at enim in hac dira necessitate moribus, ut tu suades, mutatis haec quibus conflictor mala non cohibebo, dum me vita habebit, i. e. mores meos dum vivam non mutabo, ut his malis liberer'*. Sed multo maiorem difficultatem explicationi proxima verba attulerunt. Scholiastae enim interpretatio παρὰ τίνος γὰρ ἀκούσομαι sermonis usu minime comprobatur. Nam cum hac sententia ἀκούειν τί τιτι graece non magis dictum est quam latine *audire alicui alicuid*. Neque ad scholiastae opinionem stabilendam quidquam valet Hom. II. XVI 515 δύνασαι δὲ σὺ πάντοσ' ἀκούειν ἀνερι κληδομένῳ, ubi ἀκούειν idem est quod ὑπακούειν (cf. ibidem 531), aut δέχθησθαί τιτι, cum et verbum aliud sit et alia eius sententia.

¹ De v. 217—220 sententia et emendatione dixi in Emend. Sophocl. (ind. lect. monast. 1899/1900) p. 7 sq.

Etiam magis improbatur eorum ratio qui dativum τίνι iudicantis esse volunt. Neque enim refert num quis existimet Electram πρόσφορον ἔπος audituram esse, sed num revera auditura sit. Similiter res se habet, si τίνι πρόσφορον iungitur. Nam nullius est momenti alii vocem illam convenire, dum ipsi Electrae conveniat. Omnes autem fere interpretes πρόσφορον ἔπος eam vocem intellegunt quae dolentem Electram consoletur vel sublevet, et cum πρόσφορος sit conveniens, commodus, accommodatus, utilis neque ipsum consolandi aut sublevandi vim habeat, eam ab insequentibus verbis repetunt, ubi παράγοροι in eandem sententiam accipiunt. At de consolatione qua Electra sublevetur toto hoc loco sermo esse nequit. Consolari quidem chorus Electram studuit v. 173—184, sed verbis quae proxime praecedunt quibusque hic respondetur (213—220) non consolationem, verum admonitionem, ut supra significavimus, protulit. Quare cum παράγοροι eundem sensum habere necesse sit atque παρηγορεῖν in Aesch. Prom. 673. 1033. Eum. 510 (Weckl.). Soph. fragm. 179, 2, ἀνετε παράγοροι *desinite me admonere* valet.

Quoniam ex interpretationibus adhuc propositis nulla probabilis visa est, alia explicationis ratio viaque temptanda est. Exemplis igitur idoneis demonstrari potest λόγον τινά vel ἔπος τι ἀκούειν de fama atque existimatione quam quis habeat pariter dici atque ἀκούειν cum adverbis iunctum, velut εὖ, κακῶς, καλῶς, αἰσχυρῶς, ἄριστα ἀκούειν. Quae enim in Pind. Isthm. IV 10 sq. legimus: δύο δέ τοι ζωᾶς ἄωτον μοῦνα ποιμαίνοντι τὸν ἄλπιστον εὐανθεῖ σὺν ὄλβῳ, — εἴ τις εὖ πάσχων λόγον ἐσλὸν ἀκούη cum eundem fere sensum significant atque in Pyth. I 99 τὸ δὲ παθεῖν εὖ πρῶτον ἀέθλων· εὖ δ' ἀκούειν δευτέρα μοῖρα, idem valent λόγον ἐσλὸν ἀκούειν et εὖ ἀκούειν, et apud ipsum Sophoclem in Phil. 607 ὁ πάντ' ἀκούων αἰσχυρὰ ἔπη nihil aliud est quam ὁ διὰ παντὸς αἰσχυρῶς ἀκούων. Eandem igitur significationem si huic loco adhibemus, πρόσφορον ἔπος ἀκούειν *commode audire* sonat, qua locutione usus est Cic. in Verr. III 58, 134 haec dicens: 'quaestores, legatos, praefectos, tribunos suos multi missos fecerunt et de provincia decedere iusserunt, quod illorum culpa se minus commode audire arbitrarentur', et dativi τίνι usus idem est quem invenimus in Hom. Od. VIII 479 sq. πᾶσι γὰρ ἀνθρώποισιν ἐπιχθονίοισιν αἰδοὶ — τιμῆς ἔμποροί εἰσι καὶ αἰδοῦς, Soph. OR. 8. Ant. 25. Trach. 541, de quo cf. Kuehn. Ausf. Gram. § 423, 3. Tota autem enuntiatio cum conditioni subiecta sit a superioribus verbis repetenda, eius sententia haec est: *cui enim*, si, ut tu vis, aliter me geram, ut his malis liberer, *commode audiam, cui qui recte sentiat?* Cum nemo sit, deinde pergit: 'desinite igitur me admonere'.

Monasterii Guestfalorum.

I. M. Stahl.